



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, M. DC. LXXX.**

21. An in dubio, si puer habeat usum rationis, sit absolvendus? Et maximè  
in articulo mortis an sit absolvendus, & absolvi debeat? Ex quo enim  
deducitur, quod si quis adultus confiteatur aliquid, ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76393](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76393)

nialibus non detur absolutio indirecta, quia gratia quae datur intuitu aliorum peccatorum, quae dicuntur in confessione non apponitur peccato veniali, cuius in homine iusto reperitur attritio, vel per illam remittuntur, vel, si iuxta alias sententias non sufficit attritio, vel non omnis attritio; Sacramentum penitentiae non attingit illa, ex vi productionis gratiae, quae confertur per absolutionem aliorum peccatorum, quia haec gratia (ut dicebam) non habet oppositionem cum illo: ergo non est locus absolutioni indirectae. Atque adeo, si in nostro casu confessionis factae in genere remittuntur venialia, directè remittuntur & omnia: Directè quidem, quia non est unde indirectè remittantur, sed ex vi confessionis illorum factae in communi, & absolutionis ad illa directè, omnia vero remittuntur; quia non est ratio ob quam haec potius quam illa, & ad omnia aequè primo refertur absolutio jam dicta.

Et haec omnia docet Dicastrillus ubi supra, quibus ego libenter calculum meum adjungo.

RESOL. XX.

An qui inadvertenter non absolvit penitentem, possit illum absolovere parum distans? Ex part. 5. tr. 13. & Misc. 1. Ref. 56.

§. 1. DE hoc dubio alibi dictum est, nunc verò tantum adducam opinionem Petri Ochagaviae de Sacram. tract. 2. de Confess. sacrament. quest. 41. num. 6. ubi sic ait. Quod si penitentem debitè depositum dimisit quis sine absolutione per inadvertentiam, aut alia via, si posset sine gravi incommodo, deberet illum revocare, & admonere. Cum verò non potest sine scandalo revocare, & penitens vel expectat communionem, vel ex qualitate personae cognoscit quod non incidat in novum peccatum, debet absolvi, si est praesens, licet aliquantum remotus, aliàs commoditas expectanda, & admonendus. Ita Ochagavia.

RESOL. XXI.

An in dubio, si puer habeat usum rationis, sit absolvendus.

Et maxime in articulo mortis an sit absolvendus, & absolvi debet?

Ex quo enim deducitur, quod si quis adultus constitatur aliquid, quod dubitatur, an sit veniale, an sit absolvendus saltem sub conditione? Ex part. 4. tr. 3. Resol. 53.

§. 1. SI omnibus consideratis de pueri capacitate dubium manet, tunc absolvi potest sub conditione, saltem animo retentam, in mortis articulo absolvi debet, tali praesertim casu necessitatis, & in dubio inclinandum est in favorem animae. Ita Layman in Theol. mor. lib. 4. tract. 6. cap. 5. num. 7. & ante illum Zambranus de cas. temp. mor. cap. 4. dub. 3. num. 4. & 9. quia in dubiis favendum est penitenti, qui habet jus ad Sacramentum ratione confessionis. Secundo, quia, ut docent multi, si quis adultus fatetur aliquid quod dubitatur an sit peccatum veniale, est absolvendus sub conditione, quam in dicto casu melius sit dicere aliquid peccatum saltem veniale certum vitae praeterire, etiam si sit confessum, ergo & in nostro casu, eadem enim est ratio, scilicet dubium de materia Sacramenti. Denique rationes pro articulo mortis, ferè aequè

probant extra illum articulum. Et ita hanc sententiam docet novissimè Villalobos in Summa tom. 1. tract. 9. difficult. 28. num. 3. ubi sic ait. [Quando se dudasse si el muchacho tiene bastante uso de razon ò no, para confesarse, toda via estara obligado à ello, como el que duda si tiene pecado mortal ò no, y ha fe de absolver de baxo de condicion.] Sic ille.

RESOL. XXII.

An in dubio, si puer septennis usum rationis habeat, possit Confessarius illum absque conditione absolvere? Ex part. 10. tract. 11. & Misc. 1. Ref. 54.

§. 1. CASUS est practicabilis. Et affirmativam sententiam tener doctus Caramuel in Theolog. mor. lib. 3. num. 1388. 1389. ubi sic ait: In dubio, an puer septennis, aut major, habeat usum rationis, debet absolute, & sine conditione absolvi, etiam extra mortis articulum. Ut igitur hanc ethesin, aut corollarium probem, praemittam breviter Dianæ verba valde docta, & valde necessaria. Partis enim Quartae Tractatu 3. Resol. 52. sic inquit. Quando dubium est, an pueri rationis usum habeant, praesumendi sunt habere, si compleverint septennium, secus antea; quia praesumptio defumenda est ex communiter contingentiis. Imò si rem bene examines, videtur non posse dari verum dubium, sed probabilitatem; quia regulae generales debent admitti, ubicumque non probetur contrarium: & ut existimo, haec consequentia: ferè omnes septennes pueri habent usum rationis: ergo etiam Petrus: videtur probabilis, & debere rationibus fortibus elidi. Imò si nulla ratio contra eam militet, videtur moraliter certa. His positus discuro sic. Cum ambigitur, an puer septenni major habeat usum rationis; debet supponi illum habere. Cum illum habere supponitur; supponitur posse absolute absolvi; absolvendus est igitur sine conditione. Hucusque Caramuel.

Sup. hoc lege doctrinam Ref. praeterita, & supra in tr. 3. Ref. 16. §. 1. ad medium, & verif. Et similiter.

Quae hic est supra in tr. 3. Ref. 46. & recitativè & cursum in alia Ref. ejus primæ not.

2. Sed adversus illum insurgit novissimè Pater Bardi de Conscientia, discept. 6. cap. 11. part. 4. §. 9. numer. 5. Et ratio est, quia nequit Confessarius in absolvendo penitentem ita se gerere, ut probabili irritationis periculo exponat Sacramentum, quando facile potest tale periculum evitare. Igitur haesitans de usu rationis in puero, cujus confessionem exceptit; non potest illum absque conditione absolvere. Antecedens certum videtur; quia imprudens esset Confessarius, potens periculum invaliditatis declinare, in illud se conjicere; quando nulla utilitas ex hoc provenit, neque incommodum ex contrario. Itaque, quamvis Jus, completo septennio, praesumat in dubio adesse usum rationis in puero; nihilominus in Sacramentorum administratione nequimus formare conscientiam practicè probabilem ex tali Jure praesumpto; quia validitas, aut invaliditas Sacramenti minimè dependet à praesumptionibus istis; nam tali praesumptione non obstantè, si à parte rei, puer ille defectum habeat rationis; irritum erit Sacramentum: proinde cum facile possit Confessarius à tali periculo se eximere, confertens absolutionem sub conditione; prudentia dicat, ut conditionatè puerum illum absolvat. Ita Bardi, qui etiam alias objectiones solvit; & me citato hanc negativam sententiam mordicus tuetur; à qua ego iterum non recedo.

RESOL.